

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 174. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584414544/facsimile.pdf> (tilgået 19. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

In principio erat error, et error erat apud Lutherum, et Lutherum erat error, hic erat in principio apud Lutherum, omnia per ipsum destructa sunt, et sine ipso destructum est nichil quod de-  
structum est, In ipso mors erat, et mors erat tenebre hominum,  
et tenebre in luce tenebrescent, et vita eas non apprehendit, Erat 5  
homo missus a diabolo, cui nomen Ioannes Huss, Hic venit ad  
testificandum, vt testaretur de tenebris, vt omnes errarent per il-  
lum, Non erat ille tenebre sed missus erat vt testaretur de tene-  
bris, Erant tenebre ille tenebre vere, que obscurant omnem ho-  
minem venientem in suum mundum, In mundo erat, et mundus 10  
per ipsum destructus est, et mundus eum non cognovit, In aliena  
venit, et alieni qui ab omni vento doctrine mouentur, eum rece-  
perunt, Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem fi-  
lios diaboli fieri, iis qui credidissent in eum, Sed non tantum ex  
sanguinibus, et ex voluntate carnis, et ex voluntate viri, sed [23 a] 15  
ex diabolo nati sunt, Et error eius heres facta est, et habitauit  
cum illis, et vidimus heresim eius heresim quasi a cacodemone  
spiratam, plenam mendacii et impietatis,

Te Lutherum damnamus, te hereticum confitemur.  
Te errorum patrem, omnis terra detestatur. 20  
Tibi omnes angeli, tibi celi et vniuerse potestates  
Tibi clerici et laici incessibili voce proclamant,  
Totus, totus, totus blasphemus in deum Sabaoth  
Pleni sunt celi et terra, horrende miserie tue  
Te odiosus tyrannorum gladius 25  
Te hypocritarum detestabilis numerus  
Te fornicatorum adulterinus laudat exercitus,  
Te per orbem terrarum sancta detestatur ecclesia  
Patrem immense immanitatis,  
Venenosum tuum dictum, et perniciosum documentum, 30  
falsum quoque per te accipiunt spiritum,  
Tu rex inique secte,  
Tu patris Antichristi sempiternus es filius,  
Tu ad perdendos homines non horruisti religionis habitum,  
Tu delecto veritatis fundamento, aperuisti sequacibus tuis por- 35  
tas inferorum  
[23 b] Tu ad Luciferi dexteram sedes in perpetuis penis